Est proh dolor seculi nostri, plane iam per decrepi-
tam mundi huius senectam delyrantis, tam pro-
digiosa in scribendis Libris foecunditas, tamque
late serpsit illud, ab Horatio etiam, poëta Ethnico,
damnatum scribendi κακόηθες, ut nec officinæ nec
chartæ amplius suffecturæ uideantur, scriptorum
indies hinc inde emergentium in scribendis &
edendis Libris Libidini ac cupiditati: Ac pro-
fecto Lectores prius ac citius, quam scriptores li-
brorum, non per omnia æque fælicium, defuturi
existimantur. Inde uero fit, ut libri opti-
mi & utilissimi eorum Virorum quos Deus
ad repurgationem & illustrationem doctrinæ
cælestis excitauit, suisque donis armauit &
instruxit uberrime, e manibus discentium ex-
cutiantur & pene in obliuionem ueniant.
Quotusquisque enim est qui Sanctos Lutheri
ac Philippi labores ac libros legat, curet, &
magnifaciat, Aut qui in his potius, quam re-
centium quorundam scriptorum libris euoluen-
dis ac pensitandis occupetur, Nam ut est
hoc miserum atque deploratum hominum postremi
huius seculi genus, & per naturæ imbecillitatem
& quodam temporum contagio ἀψίκορον καὶ φι-
λόκαινον, ita fastidiuntur & negliguntur utilissimi